


478
sitate vilescat ut alibi Leo Pontifex (i) dixit; & Divus Hieronymus (k) sic ad Pamachium scribens Quoniam clarus bonus vilescit in turba, & apud viros bonus indignior fit ipsa dignitas, quam multi indigni possident. Quod in causa fuit, ut ille alter Equestris nobilissimus Ordo, qui dictus fuit De la Vanda, à Dom. Rege Alfonso XI. institutus, & suis initii plurimi habitus, cuius constitutiones Episcopus Mondognensis latè recenset (l), brevi tempore intercederit, & in usu esse de-sierit, ut refert Salazar de Mendoza (m), parilem casum in reliquis, nisi cautius procedatur his verbis comminans: Instituyó la Orden de la Vanda, i diola à muchos Caballeros principales. Vino à darse à gente tan basa, que se dañaba de traella la de bien; i así se acabó en tiempo del Rei Dón Enrique IV. Tenga Dios de su mano las Ordenes Militares, i librelas de zancadillas, que les pueden arruinar Ministros para deslucillas.

51 Sed hæc tamen omnia, que de Regum in subditos liberalitate, & munificentia hucusque adē lato sermone retulimus, ita accipi volumus, ut profusionis, & prodigalitatis vitium, quod cum cerneret quemdam, quibuslibet prompte, ac inconsideratè largientem: Malè (inquit) sit tibi, qui gratias virgines, effecisti meretrices. Et Rex noster Alphonsus Sapiens (q), id ipsum agnoscens, sic habet: Mu bien está la liberalidad à todo ome poderoso, è señaladamente al Rei, quando usa de ella en tiempo que conviene, è como debe. Ca el que da mas de lo que puede, no es franco, mas es gastador, è demas avrà por fuerza à tomar lo alegre, quando lo suyo non le cumpliere. E si de la una parte ganare amigos por lo que les diere, de la otra serleban enemigos à quien lo tomare.

52 Sicut & illa distributio, quæ uni, vel paucis præstat, quod per plures divisum, eosdem remuneratos, ac beatos efficere potuisse, & ob unius, vel alterius compendium ceterorum dispendium inducit. Quem mindus prudentem excessum pluribus symbolis, & bonorum Auctorum totis Bochius (r), Horoscius (s), Navarretus (t), Camerarius (u), & novissimus Bernegerus (x), & Saavedra (y) notarunt, & Zuerius Buxoniensis in Emblemate 3. Nec semel, nec simul, & Ego ali- bi (z) latè prosequutus sum, Indiarum proges instruens, qualiter se in hujusmodi honorum, & præmiiorum remuneracione habere debeat, & inter alia celebrem Juris-Canonici locum expendens, qui docet, qualiter custos Ecclesiæ, in ejus lampadibus accendendis, se habere debeat, ubi glos-sa singulariter notat: Quod ita exceditur modus in eo, quod est amplius, sicut in eo quod est minus. Quibus nihil est, quod nunc signanter addere possim, nisi locum Salviani (a), ita loquentis: Ubi unus accipit, quod universi, & si pars est mensura, major invicta est. Quo fit ut licet ipsum accipiat, plus debere videatur. Quia magis fit unus obnoxius, qui videtur omnibus comparatus.



EM-

- (i) Leo Pap. in cap. 1. de privil.
- (k) D. Hieron. in epist. ad Pamach.
- (l) D. Anton. de Guevar. in epist.
- (m) Salaz. de Mendoz. de dign. Hisp. cap. 4. in princ. ol. 87.
- (n) Senec. lib. 2. de benef. cap. 15. & 16. & lib. 3. cap.
- (o) Lips. lib. 2. polit. cap. 17.
- (p) Max. Tyr. serm. 8.
- (q) L. 18. iii. 5. part. 2.

- (r) Bochius symb. 67. pag. 144.
- (s) Horosc. in Emblem.
- (t) Navart. disc. 23.
- (u) Camer. 3. subcess. pag. 157. & 169.
- (x) Berneg. ad Tacit. quest. 76.
- (y) Saaved. pag. 154. 273. & 583.
- (z) Ego 2. tom. lib. 2. cap. 7. ex num. 69. cap. 1. ubi gloss. de ofice. cust.
- (a) Salvian. 2. ad Eccl. Catol.

SIC DOCTI A POTENTIBUS SUBLIMANDI.



Jam propero carptura gradu fastigia vitis,
Appetit æthereæ culmina Pyramidis:
Nec renuit radiatus apex servire lacertis
Fructiferi rami, dum sua musta levat.
Non secus Imperii culmen sublatus in altum;
Doctrinæ vites sustinet, atque fovet.

COMMENTARIUS.

I **E**T si in eo quod præcessit Emblemate satis ostenderimus, quam sit, esseque debeat munerus Dominantium, de se ac Republica benemerentes largis præmiis afficere, suaque liberalitate, & benignitate juvare, ut simul hi justam sui laboris mercedem accipiant, & alios ad similem promerendam accendant. Adhuc tamen operam perdere non videvimus, si hanc curam in favendis fovendisque eruditis & literatis hominibus, aliisque bonis artibus præditis:

Quibus arte benigna,
Et meliori lato finxit præcordia Titan.

Præcipuo studio impendi debere, eisdem Principibus in hoc syntagmate suadeamus.

2 Est enim certissimum, nihil esse, quod magis ad ipsorum fastigium gloriamque pertineat, quam earumdem artium professores sub suam protectionem recipere, honoribus decorare, præmiisque competentibus enutrire, & ita sibi & ipsis immortalem, atque immarescentem apud posteros laudem famamque comparare. Accendimus quippe omnes ad studia gloria, sive ut loquar cum Hadriano Junio (a):

Gloria debet studiis, atque assecuta merces.

Honosque alit artes, ut jam supra ex Cicerone, & alii retulimus, excelsaque cujusque indolis esca præmium est, potentiorumque favor, quem si tollas, paucos reperias, qui tametsi suapte natura ad studiorum summa nitantur ascendere, se humo tollere possint, & sui ingenii lucem in proprium, & commune simul bonum diffundere, & propagare.

3 Etenim Tertulliano (b) teste: Nullum certum opus est mercedis incertæ. Et rectè Plinius Ju-nior (c), huic nostro monito hærens, scriptum reliquit: Nilli cuiquam tam clarum statim ingenium est,

(a) Jun. Empl. 11. ad Sambacum.
(b) Tertullianus.

(c) Plin. lib. 6. epist. 23.

est, ut possit emergere, nisi illi materia, occasio fautor etiam commendatorque contingat. Et Claudianus (d):

*Egregios invitant præmia mores,
Hinc præscœ redempti artes, felicibus inde
Ingenis aperitur iter, despæctaque Musæ
Colla levant.*

Et Justus Lipsius (e) eleganti similitudine usus: Ut navis (inquit) in malitia heret, sic ingenium in suo languore, cui melior aura non aspirat:

*Quos præjens Ovidius, sic canit (f):
Scribentem juvat ipse favor, minuitque laborem,
Cumque suo crescens peccore fervet opus.*

Et Lucanus (g):

*Ipse per Ausenias Aenea carmina gentes
Qui sonat, ingenti qui nomine pulsat Olympum
Memonique senem Romano provocat ore,
Forsitan illius nemoris latuisset in umbra,
Quod canit, & sterili tantum cantasset avena
Ignotus populis, si Mecenate careret.*

Martialis (b) ad eundem Mecenatem alludens, cuius in Virgilium, Horatium, & magnos alios Poëtas, & Scriptores ingens munificientia efficit, ut ejus nomen hodieque, vel uti in Adagium, pro insigni quolibet bonorum studiorum fauore transierit, ut Carolus Stephanus, & Calepinus (i) advertunt, sic verè & eleganter scripsit,

*Temporibus nostris ætas cum cedat avorum
Creverit & major cum Duce Roma suo.
Ingenium sacri miraris abesse Maronis,
Nec quemquam tanta bella sonare tuba.
Sint Mecenates, non deerint, Flacce, Marones,
Virgiliisque tibi, vel tua rura dabunt, &c.*

5 Et idem Ovidius (k), veterum Romanorum studium erga Poëtas extollens, & recentiorum in curiam in eisdem juvandis incusans, sic ait:

*Cura Dicum fuerant olim, Regumque, Poete
Præmiaque antiqui Magna tulere chori:
Sanctaque Majestas, & erat venerabile nomen
Vatibus, & large scepè dabantur opes,
Ennius emeruit Calabris in montibus ortus,
Contiguis ponit, Scipio Magne tibi.
Nunc beder sine honore jacent, operataque doctis
Cura vigil Musis, nomen inertis habet.*

*6 Et de eisdem, suo quoque tempore contemptus, agens Juvenalis (l) ita inquit:
Quis tibi Mecenæs? quis nunc erit, aut Proculejus,
Aut Fabius? quis Cotta iterum? quis Lentulus alter?
Tunc par ingenio pretium: nunc utile multis
Pallere, & toto vinum nescire Decembri.*

7 Et his recentior Erasmus (m), multus est passim in eadem studiorum, studiosorumque cura Principibus commendanda, ut quo possint prospiri, & foecilia ingenia suis opibus juvent, quæ nullibi inquit, non dexterrima reperiuntur, si his pedamentis non destituantur. Mecenatemque habeant, qui suppedit otium qui addat animum, qui tueatur adversus excetram invidiæ, quæ non aliter, quam umbra corpus, sequitur eruditioñis gloriañ. Denique ad cuius judicium suas erigant vires, cui suas consecrent vigilias. Additque, idè prudentem Antiquitatem Musis virginibus suum Appollinem præfescit. Et quod adhuc durius habeantur bona literæ, in causa esse, quod frigeant Mecenates, & regent meliorum literarum hostes, nam ut honos alit artes, ita genus vita sordidum, nullus studiorum comes, nullus amulus, nemo mirator, nemo fautor, nullus honos, nulla præmia, etiam ex diligentissimo ignavissimum reddunt studiosum.

8 Idem quoque sentiens Symmachianus (n) Afer, arduas ac præruptas Parnasi rupes sola hac

(d) Cland. lib. 2. de laud. Stilic.

(e) Lips. epist. 73. in Cent. ad Germ. & Gall.

(f) Ovid. 3. de Ponto.

(g) Lucan. in carm. ad Pison.

(h) Mart. lib. 8. epigram. 56.

(i) Stephan. & Calep. verb. Mecenæs.

(k) Ovid. lib. 3. de arte amandi.

(l) Juven. satyr. 7.

(m) Erasm. epist. 29. & 71. cent. 7. & in Adag. Ne hos quidem pereat, pag. 705. & in l. ad Thessalon.

(n) Symmach. aduers. Marcionem.

Optimum ope, facile scandi posse, his verbis ostendit: Quod circa bijugam ingeniorum illam rupem sentcosa asperitudine protulimus, scandi baud proclivem. At enim si eruditii aderant Principes, Optimates; ecce scandiles instar graduum, illi scopuli. Alter si in eruditii, si in beneficii, ne, & illi scopuli sunt, & obsistunt.

9 Et Altius (o), post Diogenem, Demosthenem, & alios, quos ejus Expositores adducunt, divites hujusmodi ac Potentes Viros carpere volens, qui in parasitos, scurras, moriones, fatuos, & alios similes homines, doctis & studiosis relatis, suas divitias profundunt, elegans illud cusit Emblema, ficus in altis rupibus sita, cuius fructus solis ineptis, & nocivis avibus in escam cedunt, sub lemmate, Luxuriosorum opes, & his carminibus:

Rupibus aereis, sumnique crepedine saxi,

Inmitis fræctus ficus acerba parit.

Quos corvi comedunt, quos devorat improba cornix.

Qui nihil humanæ commoditatis habent.

Sic Fatuorum opibus, parasiti & scorta fruuntur,

Et nulla justos utilitate juvant.

10 Petrus etiam Costalius (p), pariter docere volens, quod Honos alit Artes, hoc Pegmate uitur, ex Cygni natura desumpto,

Non canit assueta Cygnus vocalis in unda

Ni Zephyri spiret mollier aura sibi.

Classica proposito sapientia crescit bonore,

Speratoque aitior docta Minerva lucro.

Sic tua Mecenas circumstet aura Maronem,

Et capit Clario gravior esse Deo.

Quo Modernus Alter (q) hoc Disticho clausit,

Dulci sonum mollis Zephyrus demulcit olorem,

Et Vatum stimulat pectora dives bonos.

11 Et ante illos Philostratus (r), & Nazianzenus (s), de eadem Cygni natura loquentes, latius adnotarunt. Et Plutarchus (t), eamdem ferè similitudinem premens, sic habet: Ut enim frumentum copiam bona temperies, & tenacitas aeris gignit: ita artium, & bonorum ingeniorum incrementa, benignitas, honor, & clementia R-gis efficit: & contraria, Principum inuidia, sordes, aut studiorum contendendi, omnia ista extinguunt, & perdidit.

12 Quo loco relatu, Joachimus Camerarius (u) aliud simile adducit, ex Luna, quæ, ut tradit Lucilius apud Gellium (x) alit ostrea, & implet echinos, & inde, inquit ad rem nostram, aliud Emblema formari posse, Crescente adresco Luna, decrescere minuta,

Aula num melius pingitur effigies?

23 Et Erasmus (y) in id ipsum respiciens, inquit, quod cum Asinus sit omnino Musicæ indocitus, ex ossibus tamen ejus optimæ sunt tibiae, ut ait Æsopus apud Plutarchum. Ita divites quidam, ipsi indocti, tamen pecunia suppeditant ingenium studiosis. Ex quo simili (Erasto non citato) Florentius Schoonhovius (z) hoc Emblema confixit, asinus dissecctis cruribus resupinum depingens, & tibicinem sub arbore, tibia, quam ex ejus osso fecerat, dexterimè modulari;

Sunt Asini cantare rudes, tamen ossa ministrant,

Quæ fistulis optissima,

Sic quibus res est ampla domi, tenues studiosos

Opibus jucare convenient.

Dignum quoque relatu est Emblema aliud D. Sebastian. Covarruvia (a), quod sub pictura molendini pneumatici, sive alati, quod vocamus, De viento, cum lemmate, Si staverit, ita valde ad rem nostram appositè inquit:

Virtud, letras, ingenio, entendimiento,

Ybuenas partes, pero con pobreza,

Si no reciben de quien puede aiento,

Haciendoles favor con su largueza,

Es un molino, que llamanis de viento,

Puesto en lo alto de una fortaleza,

Que quando el aire calma, está parado,

Y su artificio desaprovechado.

Ppp

Ego

(o) Altius. Emblem. 73.

(u) Camerat. cent. 3. Emblem. 51.

(p) Petr. Costalius in pegmat. pag. 320.

(x) Gellius lib. 20. cap. 7.

(q) Modern. ap. Theat. vita hum. lit. P. pag. 500.

(y) Erasm. in simil. pag. 50.

(r) Philost. lib. 1. Icon.

(z) Schoonh. Emlb. 65. pag. 194.

(t) Nazianz. in epist. ad Celestium.

(a) D. Sebast. Covarr. Emlb. 13. cent. 2.

(s) Plutarch. in orat. de fort. Alex.

14 Ego vero, eam disciplinam, hac vitis, qua utor, figura aptius insinuari posse existim, qua valida alicuius arbori, vel Pyramidi innixa, in altum se, suosque fructus botrosve sustollit, & ubiores, duloresque progerat. Quod fulcimen, levamen, vel juvamen si deficeret, per terram foliis sparsa saceret, & ab omnibus calcata, inutilis redderetur. Unde, post Columellam (b), Tertullianu(c), hanc esse vitis & hederæ naturam inquit: *Ut malint parietibus invabi textili sylva, quam bni teri voluntaria injuria.* Eademque Nos in doctis quibusque, & studiosis viris consideramus, qui si Potentioribus placere harereque mereantur, atque illorum ope opibusve juvari, ex solo inoblem Soliumque consurgent, & uberrimos sui ingenii foetus producent, gravioresque, & honorabiles apud omnes existent. Prout & Justus Lipsius (d), eadem similitudine usus, his verbis expedit: *Ut vitis jacet, nec fructum fert, nisi ad stipitem, aut arborem applicita, vix etiam literat, nisi gratia & favore Magnorum subnixi.* Et Joachimus Camerarius his, vitem humi strata pinens, quia ulmum, cui adhaeresceret, non habebat, cum lemmate, *Opis indiga,*

*Stratus humi palmes, absentem sterilescit ob ulnum,
Indiget alterius quilibet auxilio.*

15 Est autem Pyramis, ad Reges significando, aptissimum symbolum, tum propter sui stabilitatem, magnitudinem, atque excellentiam, de quibus mira Plinius (e) scribit, eas otiosam atque stultam Regum Aegyptiorum pecuniae ostentationem appellans: tum quod ipsi Aegyptii, Reges suos, qui mortales reliquos gloria præcessissent, metis & Pyramidibus, que sepulchris eorum superponerentur, honorare conserverunt, ex quatuor vastissimorum angulorum lateribus ab in acumen desinentibus, in ignis specie, unde & illis nomen inditum fuit, tanta interdum opera, & maiestate, ut inter septem oīis miracula haberit meruerint, ut præter Solinum, Strabonem, Ammianum Marcellinum, & abs, refert Pierius Valerianus (f). Addens ex Nazianzeno, & aliis, non deesse, qui existimant, Pyramides eas in Aegypto celebriores, à Josepho Hebreo exadificatas, ut frumenti conditoria esset.

16 Extatque apud Iadrianum Junium (g) Emblema aliud, ubi hoc illustrat, nostro valde consimile, nisi quod generalis Reges, tamquam pyramides, suis opibus, atque adminiculis invalidam plebeculari, aminoris conditionis hominum status, falcimento, & ornamento esse debeat admonuit, ut ejus vera demonstrant, quæ sic habent,

*Pyramides Pharian monumenta perennia Regum,
Errantibus circum ligat hædera sequax brachiis.
Regum opibus firmis plebe sustentatur egena,
Mentisque constans firmitas viret perenniter.*

Quod longè verius, & commodius dixisset, si ad literarum levem suum Emblema (ut nos in nostro facimus) contraxset, & præsertim ad Poetas, qui à Persio (h), & aliis (i), *Hederæ sequaces* dicuntur, quod ea, simil cum lauro, coronare solerent, ut latè ejusdem Persii explanatores, & alii passim Auctores ostendunt.

17 Omnes in eo pater convenientes, quod præter supra relatos à Seneca (k) Tragico dicitur:

*Ingenia melius recta se in laudes ferunt,
Si nobilis animum vegeta libertas alit.*

Et hoc studium sublevadorum studiosorum Principibus viris votivum esse debere, ad Herculis imitationem, quem Veteri, ut jam alibi tetigi (l), tot victoriis clarum, Musagetem etiam indigent, quasi Musarum auctorem, literatorumque Tutorem, sic (ut redit Causinus (m) tradit) indicare volentes, latè Musas i tutela bellicar virtutis, & sub Principiū virorum auspiciis jucundius florere.

18 Unde eos ad hinc curam merito excitavit Poeta (n), sic canens:

*Pieriden, Heroes, doctos, & amate Poetas,
Aurea nec superent munera Pieridas.
Carmine purpurea est Nisi coma, carmina ni sint,
Ex humeris Pelopis non nituisset ebur.
Quem referent Musæ vixet, dum robora Tellus,
Dum cœlum stellas, dum vebet annus aquas.*

Et Batilius Lebeus (o) nostrum intentum respiciens, & Herculis Musagetis fabulas premens, sic habet:

Templa hic cum Musis, prisci monumenta Quiritis

(b) Colum. de re rust. lib. 1. cap. 6.
(c) Tertull. in lib. de ama, cap. 19.
(d) Lips. centur. 2. ad ilig. epist. 13.
(e) Plinio lib. 36. cap. 11.
(f) Pier. lib. 39. fol. 21. & lib. 60. fol. 439.
(g) Junius Emblem. 14.
(h) Pers. satyr. 1.

(i) Horat. od. 1. & 36. lib. 1. & epist. 3. lib. 2. ubi eorum expos. & Altiat. Emblem. 204. ubi Minoes.
(k) Senec. in Hypoll.
(l) Sup. Embl. 63.
(m) Causin. in Polist. sym. lib. 2. cap. 31.
(n) Poeta apud Causinum ubi proxime.
(o) Batil. Emblem. 46.

Musarum Alcides duxque comesque tenet.

Tam bene conveniunt, ille hujus numine tubæ

Clarus hic illarum vocis, & artis ope.

In cuius Emblematis commentario latius in hoc arguento discurrit.

19 Et summè semper laudata est Cræsi in Pindarum, Policeratis in Anacreontem, Lysandri in Chærillum, Augusti & Mecenatis in Virgilium, & Horatium, M. Catonis in Eonium eximia liberalitas, & sic aliorum in alios, tum Poetas, tum studiosos, & literatos viros comitas & benignitas, quorum ingentem Catalogum novissimè, ultra plures alios, Camerarius, & Beyerlinchius (p) conscripsérunt.

20 Et de Alexandro Magno, ultra honores Homero habitos, narrat, post alios Conradus Gesnerus (q), Aristoteli, ob libros de historia animalium, quos ejus jussu elucubravit, octingenta talenta auri dono dedisse, quæ, ut ipse Gesnerus supputat, quadringentis octoginta Coronatorum millibus estimantur. Additque, quod si hodie viveret Alexander, intelligeret profecto, & miraretur, inter innumera ejus Regia opera, nullius meritò tantam ad posteros gloriam, & famam ipsius transmissam, quantum ex hoc uno apud vulgus hominum contempto opere.

21 Oppianus quoque Anacerbensis, Poeta longè doctissimus, eodem Gesnero (r), & Volaterano (s) testantibus, cum M. Antonino Imperatori opus suum de Piscibus, & de Venatione dedicasset, ultra patris exhalantis in urbem restitutionem, quam ipse dumtaxat expostulavit, pro quolibet versu aureum numum accepit, quo dono exilaratus, poemata sua aureis literis exaravit, ut merito aurea appellentur, sunt autem utriusque poemati carmina quinque mille & octingenta.

22 Et Martialis (t) Prisci, sui Patroni, erga se beneficiant collaudans, qualiter ea excitatus, suis in carminibus studiis proficeret, hoc Epigrammate luculentiter ostendit,

Quod Flacco, Varioque fuit, summoque Maroni

Mecenas atavis Regibus ortus eques:

Gentibus & populis hoc te mibi Prise Terenti

Fama fuisse loquax, chartaque dicet anus.

Tu facis ingenium, Tu si quid posse videatur,

Tu das ingenuæ manera pigritiae.

23 Eademque de causa divinus illi Plato ab Aeliano (a) relatus, Hipparchum ipsius discipulum, Pisistrati filium, summis laudibus effert, quod ultra honores Homerii carminibus habitos, misit etiam ad Anacreontem quinque remorum navim, ut ad se veniret; Simonidi verò Ceo summa cum diligentia adhäsit, semperque secum habuit, magnis munibus & mercede persuasum. Omnemque operam navavit eruditis doctisque viris: & voluit sua auctoritate præire Atheniensibus ad studia literarum, & præstantioribus, atque melioribus ipsis imperare conabantur. Nemini enim sapientiam invideri par esse censebat, quippe cum esset vir bonus & integer.

24 Plurimisque aliis omissis, hæc ipsa in literatos propensio, valde in Leone Imperatore (x) resplenduit, cum in una ex suis Novellis dixisse legamus: *Utinam mis temporibus eveniat stipendia militum in Doctores artium absumi.* Et in Athalarico, Gotorum Rege, cum de eo referat Cassiodorus (y) quanto studio curaverit, ut Grammaticis, Rhetoribus, necnon juris Expositoribus in urbe Romana salario competentia, & sine ulla diminutione, aut mora præberentur, eam rationem adjiciens, *Quod manifestum sit premium artes nutrire, nec cogi debere de alieno pendere fastidio, cui piaculum est, vel horarum aliquo vacasse momento.* Et quod si Principes opes suas Scenicis pro populi oblatione largiuntur, & ea studiosissimè consequuntur, qui adeò necessarii non habentur, quanto magis illis sine dilatione præbenda sunt, per quos & honesti mores proveniunt, & Palatio Regio facunda nutritiur ingenia.

25 Apud Crantzium (z) quoque notabilem historiam habemus de Hiarne mediocris fortunæ homine, sed singularis ingenii, qui Dania Regno donatus fuit, ob id tanum, quod in laudem Frontonis Regis prædefuncti, elegans Epitaphium scripsit lingua vernacula, quod Saxo Grammaticus in Latinam ita transfudit,

Frontonem Dani, quem longum vivere vellent,

Per sua defunctum rura tulere diu,

Principis hic summi tumulatum cespite corpus,

Æthere sub liquido nuda recondit humus.

26 Vitruvius (a) etiam se valde mirari scriptum reliqui, cur Graecorum majores in Olimpicis ludis vincentibus, ita magnos honores constituerint: *Scriptoribus verò non eosdem, etiamque majores*

(p) Camerar. 1. subcis. cap. 4. tom. 2. cap. 55. & 56. &
tom. 3. pag. 170. & pag. 243. Theat. lit. P. pag. 497.
(q) Gesner. in pref. ad lib. de quadrup.
(r) Gesner. supr.
(s) Volater. lib. 18. antrop.
(t) Martial. lib. 12. Epigramm.

(u) Aelian. de var. histrio. lib. 8. cap. 2.

(v) Leo Imper. Novel.

(w) Cassiodor. lib. 9. epist. 21.

(x) Crantz. hist. Danie lib. 1. cap. 33.

(y) Vitruv. lib. 1. in princip.

tribuerint, quorum prudentia tanta munera privatum publicèque hominibus præparat, quorumque quotidiana precepta, perpetuis industriis, & laboribus culta, infinitas utilitates, ævo perperuo, non solum suis civibus; sed etiam omnibus gentibus præstant, instituantque civitatibus humanitatis mores, æqua jura, leges, quibus absentibus, nulla potest civitas incolunis esse.

27 Et Flavius Vegetius (b) idem agnoscens, sic suos libros de re militari exorditur, quos ad Valentiniandum Augustum direxit: *Antiquis temporibus mos fuit, bonarum artium studia mandare literis, atque in libros redacta offerre Principibus. Quia neque recte aliquid incobatur, nisi post Deum favorit Imperator: neque quemquam magis docet, vel meliora scire, vel plura, quam Principem, cuius doctrina omnibus potest prodesse subjectis. Quod Octavianum Augustum, ac bonos debet Principes libenter babuisse, frequentibus declaratur exemplis. Sic Regnantibus testimonitis crevit eloquentia, dum non culpatur audacia.*

28 Inde Cuspinianus (c), merito laudat Maximiliani I. Imperatoris Regium apophthegma, quo pronuntiavit, se nullos homines plus amare, nullis majorem caritatem, & reverentiam debere, quam viris doctis; eosque non subesse, sed praesesse aliis oportere. Quo cum sentiens Rex noster Alfonso X. idem ipsum in vim legis (d) observandum suis posteris tradidit, sic in una ex suis Septem Partitis statuens: *E aun deben bocar a los Maestros de los grandes saberes: ca por ellos se fazen muchos de omes buenos, e por cuyo consejo se mantienen, e se enderezan muchas vegadas los Reynos, e los grandes señores, &c.*

29 Elegans quoque hac de re dissertatio apud Joannem Barclayum (e) in sua Argoside reputatur, ubi pluribus probat, sine scelere & periculo contumeliosè haberi non posse eximios viros; sed & genus inhumanitas noxiostissimum esse, non illos extollere, & premiis sollicitare de publico, quamque in arte excellere repertantur. Errareque & peccare graviter Principes, qui cum in res ludicas, & voluptuosas, & in tot vilissimos homines, tantum auri profundant, nunc perversam rationem instituant, ut in multis gentibus prope sit ad egregii animi indicium arceri à Regis, aut in illis jacere: *Adeò (inquit) timida, aut barbara felicitum vitta astant exarmare virtutem; quasi ea potiores futuri sint, si egenam, aut neglectam superbi calcaverint.*

30 Quam querelam prius lepidè satis expressit Petronius (f) Arbitr Poetam non humillimi spiritus inducens, à quo cum quæsum est, cur tam male vestitus incederet? propter hoc ipsum inquit: *Amor ingenii neminem unquam divitem fecit.*

*Qui pelago credit, magno se fienore tollit,
Qui pugnas, & casta petit præcinctus auro,
Vilis adulator piëlo jacet ebrios ostro;
Et qui sollicitat nuptias, ad premissa peccat.
Sola ruinosis borret facienda pannis,
Atque inopi lingua desertas invocat artes.*
Facilius itaque quacunque ratione possunt literarum amatores, ut videantur illi quoque infra pecuniam positi, nescio quomodo bone mentis soror est paupertas. Quem locum pungens Justus Lipsius, (g), in uno queritur, raram esse conjunctionem virtutis, & fortunæ, præsertim in modesto, & sapienti, & bona mentis. Et in alio ita inquit: *Belli aliquot, & buccones, ad culmina honorum veniunt: meliora & altiora ingenia acentur. Ita ævum est, paucos mala virtus, aut doctrina evexit.*

31 Et, ut bene Joannes Filescus (b) animadvertisit (multiplices causas sterilitatis ingeniorum expendens) jam olim & toties auditæ sunt hujusmodi aliorum Poetarum querela. Sic enim Statius (i) Papinius dolet suo tempore vilim honorem studii habitum; & Ovidius (k) cum inquit:

*Dulcis erat mercede labor, tempusque secutum est,
Quod subito grata frangeret artis opus.*

Et Calpurnius (l) Flaccus exinde consulens,
Frangere puer calanos, & inanes desere Musas,
Quid enim tibi fistula reddet
Quo tutere famem? Certè mea carmina nemo
Præter quæcumq; scopulis ventosa remiurmarat Echo.

32 Quem sequutus Martialis (m), Flaccum hortatur, ut Musis relictis, forum aliasve artes lucras sectetur, hanc rationem subtexens,

Præter aquas Helicon, & sarta, lyrasque Deorum

Nil habet, & magnum semper Inane sophos.

Quid tibi cum Cyrrha? Quid cum Permessido unda?

(b) Veget. de re milit. in prolog. lib. 1.

(c) Cuspin. in Maxim. 1. pag. 486. num. 16.

(d) L. 3. tit. 30. part. 2.

(e) Barclay. lib. 1. Argent. pag. 96. & seq.

(f) Petron. in satyr.

(g) Lips. de admirand. lib. 2. cap. 15. & in centur. ad

(h) German. & Gallos; epist. 51.

(i) Filescus. 2. select. in syntag. de Script. c. 5. ex p. 352.

(j) Statius Epiced. in Patr.

(k) Ovid. 6. Fast.

(l) Calpur. Eclog. 4.

(m) Mart. lib. 1. epist. 77.

Et Faustus Andrelinus (n), sic inquiens:

Dispereant latie steriles mea castra camena

Dispreat fallax nomen Apollo tuum

Invidia amicis properat, nil Phœbe propinas,

Nil mibi dat Helicon, Pegasus unda nihil.

Coccina fers humeris, & serica queque satelles;

Et Pathicus, Leno, Pharmacopola, Coccus,

Horum est quicquid nunc auditur in orbe monetæ,

Nil aliud Vates, quam bene dixit, habet.

33 Et aliis relictis, Ludovicus Ariostus (o) sic eundem dolorem expressit,

Si, por gran culpa de i signori avari, Che la virtu premendo, & essaltando

Che lascian mendicar i sacri ingegni, I vitii, caccian le buon arte in vando.

34 Et non inelegans noster numquam pro meritis laudatus Lupus à Vega (p), suum Poëma

De la Jerusalén, sub eadem querela, sic exordiens:

Bien sé que vengo á tiempo, que no esperan Pocos estiman, muchos vituperan,

La virtud, i trabajo premio alguno: Cisnes son todos, sin cantar ninguno.

Et rursus sic finiens (q):

Yo solo de la embidia perseguido, Que mal puede volar en larga summa,

Estraniero en mi Patria, i desterrado, Si á cuidados domesticos atiende,

A Ovidio en esto solo parecido, De todo bien desamparada pluma,

Anque por las estrañas siempre honrado: Yo me disculpo, i el poder me entiende:

De sola mi verdad favorecido,

I del mortal poder desengañado,

Dexo estas líneas barbas, i viles

A los pinceles, que vendrán sútiles.

35 Quo loci ad vulgatum illud Altati (r) Emblema respexit, quod sub pueri figura confinxit, in altum dexterri ingenii alis volare conantis, nisi illum grave pondus alteri manui alligatum deorsum deprimeret, cum his carminibus:

Dextra tenet lapidem, manus altera sustinet alas;

Ut me pluma levat, sic grave mergit onus.

Ingenio poteram superas volitare per arces

Me nisi paupertas irævita deprimet.

Cum quo consonat aliud Boissard (s), quod ita se habet:

Haud facile emergunt, qui paupertate premuntur:

Quos retinet tamquam compede tetra faves

Immodicis opibus virtus ne gaudet: at illa

Degeneri sorbet subrata pauperie.

36 Est enim certissimum paupertatem, ut comitem, ita & novicem bonorum ingeniorum, excellentiumque artium, & literarum esse solere, quæ animum, tum ab aliis curis, tum maximè ab hac

rei familiaris, vacuum, liberumque desiderant, ut presens Ennius (t), dum dixit: *Multi aliquid aduentant, quorum paupertas obscurat nomina; & expressius Dionysius Halicarnaseus (u), inquiens: Ni-*

bil generosum sapere potest, qui quotidiani viclus penuria urgetur. Et eleganter Juvenalis (x) sic canens:

Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat

Res angusta domi. Minime cantare sub antro

Piero, Thyrsoncæ potest contingere seca

Paupertas, atque æris inops, quo nocte dieque

Corpus eget: satur est cum dicit Horatius Obe.

Quod si Virgilio puer, & tolerabile desit

Hospitium, caderent omnes à crinibus hydi,

Surda nihil gemitet grave buccina, &c.

37 Unde & Horatius (y) Juli Flori ingenium valde commendans, eum monet, ut has curas re-

lin-

(n) Andr. lib. 1. Poem.

(o) Ariost. cant. 35. Stanz. 23.

(p) Lup. à Vega in Jerusal. cant. 1.

(q) Idem cant. ult. inf.

(r) Altati. Embl. 120.

(s) Boissard. Embl. 10.

(t) Ennius.

(u) Halicarn. lib. 4.

(x) Juven. satyr. 7.

(y) Horat. lib. 1. epist. 3.

linquat, ut ad famæ templum ascendere possit, his verbis:

Ipse quid audes?

*Que circum volitas agilis thyma? Non tibi parcum,
Ingenium, non incultum est, nec turpiter hirtum;
Seu lingam causis acuis, seu civica jura
Respondere paras: seu condis amabile carmen:
Prima feres bederae victricis premia: quod si
Frigida curarum fomenta relinquere posset,
Quo te caelestis sapientia duceret, ires.*

Et rursus (z) in Arte Poëtica docet, neminem corrigandis, augendisvè pecunii intentum, quicquam in Poësi pulchrum perficere posse, inquiens:

Ad hæc animos ærugo & cura periculi

Cum semel imbuierit, speramus carmina fingi

Posse linenda cedro, & lœvi servanda cupresso?

38 Plinius quoque Junior (a), ad Canium Ruffum scribens, dolet, quòd intētione rei familiaris obeundæ, crebris excursionibus ab studiis avocetur; monetq; ipsum his verbis: *Quin Tu (tempus est enim) humiles, & sordidas curas aliis mandas? Et ipse te in alto isto, pinguique secessu studiis adseris? Hoc sit negotium tuum, hoc otium, hic labor, hæc quies: in his vigilia, in his etiam somnus reponatur. Effinge aliquid, & excude, quod sit perpetuò tuum: nam reliqua rerum tuarum post te aliud, atque alienum sortientur: hoc nunquam tuum desinet esse si semel caperit.*

39 Et Cassiodorus (b), postquam sub Athalirici Regis persona, salario ex publico immunita præstari debere, præcepit, inde factum esse concludit, ut Casset nunc illa satyris Doctoribus querulis usurpata sententia, quia duabus curis ingenium non debet occupari. Ecce jam habere tolerabile probantur hospitium; unde nunc meritò, unī sollicitudini jugiter exherentes, toto vigore animi ad bonarum artium studia transferantur.

40 Discant igitur Principes, inter præcipuos thesauros suos ea reponere, quæ in alendos, & sublevando homines, eminentioribus studiis, disciplinis, & aliis, quibusvis artificiis præditos, erogaverint (neque enim vulgares Musas, studiavæ inutilia, vel ad negotiorum usum minus apta ingenia, ad hæc præmia accerso). Sciantque, vel à Symmacho (c) docti, *Bonas artes honore nutriti, atque hoc specimen esse florentis Reipub. ut disciplinarum professoribus præmia opulenta pendantur. Multosque reperiunt; ut benè Joannes Barclajus (d) considerat, qui publicæ prudentiæ, ac providentiæ sunt apti, qui tamen, quia non quartuntur, neque beneficii ejusmodi sublevantur, in occulto latent, aut in privatis curis consenserentes, non usu, non negotiis lævigantur.*

41 In magnum sanè Reipublicæ detrimentum, cui nulla potest alia major calamitas contingere, quam si strenuis militaribus Dicibus, eruditisvè, ac prudentibus Togatis Gubernatoribus, vel Scriptoribus, aut Doctoribus careat, quorum defectum sub finem mundi majorem esse futurum, quidam (e) vaticinantur, & utinam nostris temporibus in nostra Hispania hanc plagam minus frequenter experiemur, majorique curæ eset, in deficientium locum haberí magnorum animorum seminarium, atque delectum, quos nullum tempus, nulla Regio non gignet, si modò sint, qui foveant, & provehant, cum vel docente Juvenali (f):

Experientia constet,

*Summos posse viros, magna exēpla datus,
Vervecum in patria, crassoque sub aere nasci.*

Et ut Cassiodorus (g), inquit: *Non sint impia tempora nostra transalpis. Habemus sequaces, emulosque priscorum. Quod prius etiam Tacitus (h) his verbis admonuit: Neque omnia apud priores meliora; sed nostra quoque etas multa laudis, & artium imitanda posteris tulerit.*

42 Et hæc simul etiam contra eos notare oportebit, qui solum antiquos Scriptores & Artifices laudare, & estimare solent, & ut Plato (i) ait, semper recentioribus præferre consueverunt, quasi lassa & effeta natura, nihil jam laudabile pariat. Quos contra justissimè stomachatur Horatius (k) cum dixit:

*Indignor quicquam reprehendi, non quia crasse,
Ilepidè dictum putetur, sed quia nuper.*

Et de his, & de aliis, qui similiter solum exteris Auctores mirantur, & indigenas parvi faciunt, plura dicere possem, nisi jam alibi à Me post Filescum (l), & alias tradita essent.

(z) Idem in Arte Poet.

(a) Plin. Jun. lib. 1. epist. 3.

(b) Cassiod. lib. 9. epist. 21. in fin.

(c) Symmach. lib. 1. epist. 73.

(d) Barclaj. in Argent. lib. 1. pag. 100.

(e) Ascaff. & relati ab eo in lib. de artis.

(f) Juven. satyr. 10.

(g) Cassiod. lib. 8. epist. 13.

(h) Tacit. 3. Annal. & 1. hist.

(i) Plato in Hippia.


(k) Horat. in Arte Poet. Plin. Jun. lib. epist. 16. & lib.

6. epist. 21. Siden. lib. 6. epist. 8.

(l) Filesc. lib. 2. selecti. tract. ultim. de multipl. Script.

gener. Ego 2. tom. in epist. ad Lectorem.

LITERATI PRINCIPIBUS SUSPICIENDI.



*Quis Crocodilos flumine nantes
Edomat audax, insidet acer?
Parva, levis gens Tentyrita.
En cave Princeps sis Crocodilus,
Omnibus horror, quippe paratur
Penna volans, & Natio docta
Vilis, & acris, quæ domet ausus,
Tollere famam quisque valebit.*

COMMENTARIUS.

I  dimus, & abundè satis (ni fallor) adstruximus, quam sit, esseque debeat Regali Fastigio coharen, eruditorum, quavisè alia utili ante eminentium hominum cura, & competens pro cujusque meritis honor & sublevatio. Nunc verò è nostrum sermonem dirigimus, ut non minus aperiè Principibus ostendamus, eamdem curam, non solum ad se pertinere, verùm valde quoque sua dignitati, atque existimationi conducere, si gloriari ament, & famæ, nominisque sui laudem, & nullo unquam seculo interituram memoriā subditis, & exteris, praesentibus & posteris, relinquere velint.

2 Quo in studio flagrare debere Aristoteles (a) monuit, dum dixit: *Velle pecuniis excellere Tyrannicum est; honoribus vero magis Regium. Seneca (b) docens: Debere Principes multa etiam famæ dare. Et melius Tacitus (c), inquiens: Principiū sorti, præcipua rerum ad famam dirigenda. Ceteraque illis statim adesse, unum insatiabiliter parandum, prosperam sui memoriam. Et Polybius (d), Principes in hoc ad aliorum hominum conditione his verbis distinguens: Argentum quidem & pecunia est communis omnium possessio: at honestum, & ex eo laus & gloria, Deorum est, aut eorum, qui à Diis proximè censentur.*

3 Compertum est enim, & omnium seculorum exemplis notatum, nihil tam obscurare, & delere posse Principiū gloriā, nihilque citius memoriam nominis ipsorum extingui, & sepelire, aut etiam odiosos, & detestandos posteris reddere, quam quòd viros doctrina, & virtute præditos rejecerint, aut neglexerint. Contrà verò, nullum illustrius Nobilitatis insigne, nullam clariorē tubam, ad laudes illorum ubique celebrandas, excogitari posse, quam ingeniōsorum, & doctorum hominum amorem honoremque mereri, & eorum scriptis cum laudum præconis aeternitati commendari; rerumque à se præclarè gestarum gloriā literatorum magis, quam famæ pennis extendere, & ut olim de Ennio dictum fuit: *Assiduos volitare per ora virorum.*

(a) Aristot. 5. Polit. cap. 10.

(b) Senec. de Clem. lib. 1. cap. 15.

(c) Tacit. 4. Annal.

(d) Polyb. in sua hist.

4 Praeclarè quippe dixit Vegetius (e) : *Unius ætatis esse que fortiter sunt, que verò pro utilitate publica scribuntur eterna manere.* Et ante eum Seneca (f) : *Non annorum numero, neque spatio ætatis terminari fortunam hominum vitam, sed laudis, & fame, perpetuaeque posteritatis immortalitate.* Quæ non alter, quam Historicum, aliorumque celebrium Scriptorum monumenta consequi potest, quorum præcipuum officium, ut Tacitus (g) inquit, in suis Annalibus esse debet : *Ne virtutes sileantur, utque prædictis faclis ex posteritate, & infamia metus sit.*

5 Unde verò dicere potuit Pindarus (h), magnas corporis vires, magnasque animi virtutes ab hymnis, & laudationibus Historicorum, & Poëtarum destitutas, densis tenebris circumfundit : *Sermonemque faclis diutius vivere, quem cum Charitum favore lingua è mente extulerit profunda.* Quem secutus perpetuus ejus laudator, & imitator Horatius (i), integrum Odam in hoc effectu Poëtici munera laudando consumit, & multis exemplis adductis concludit :

*Dignum laude virum Musa vetat mori,
Cælo Musa beat, &c.*

Et statim in sequenti sic graviter cecinii (k) :

*Vixerunt fortis ante Agamemnona nocte, carent quia Vate sacro
Multi, sed omnes illachrymabiles Paulum sepultæ distat inertie
Urgentur, ignotique longa Celata virtus.*

6 Et apertius Ovidius (l), inde deducens, nullam rem aptiorem, optatioremque Principibus contingere posse, quam bonum Poëtam, qui eorum nomen, ac famam ab injuriis temporis vindicet, his versibus :

*Nec tamen officio Vatum per carmina facto,
Principibus res est aptior ulla viris.
Carmina vestrarum peragunt preconia laudum,
Nevè sit actorum fama caduca carent.
Carmine fit virvax virtus, expersus sepulchri,
Notitiam seræ posteritatis habet.
Tabida consumit ferrum lapidemque vetustas,
Nullaque res maius tempore robur habet.
Scripta ferunt annos, scriptis Agamemnona nosti,
Et quisquis contra vel simul arma tulit.
Quis Thebas, septemque Duces sine carmine nosset,
Et quicquid posthac, quicquid & ante fuit, &c.*

7 In eamdem sententiam conveniens Tibullus (m), sic habet,
Quem referunt Musæ virget, dum robora tellus,
Dum cælum stellas, dum vobet annus aquas.

Et Lucanus (n) hoc carmine,

*O Sacer, & magnus Vatum labor, omnia fato
Eripis, & populus donas mortalibus æcum.*

8 Aliisque relictis, Jacobus Boissardus (o) idem ipsum Emblematicè ostendere volens, Ducem una ex parte pingit, militaribus spoliis onustum, & ex altera Scriptorem, ejus egregia facta, admoto ad librum calamo, quasi exarantem, cum hoc lemmate, *Quæ scriptorum monumentis mandata sunt, æterna redduntur, & his carminibus:*

*Egregius frustra virtus se bellica gestis
Inflat, & ad laudes nititur ire suas. Ni scriptis vulgata ejus sit fama per orbem,
Et fiat radis clarior historie.*

9 Florentius autem Schoonhovius (p), sub lemmate, *Vivitur ingenio, hinc figuram mortis, Regum Coronas calcantis, inde librum, roseis sertis redimitum, quem serpens circumdat, excussit, hac*

*Regna cadunt, urbes pereant, nec que fuit olim
Roma manet, præter nonen inane nihil.
Sola tamen rerum, doctis quæsita libellis,*

10 Quos omnes excedit Seneca (q), hoc ipsum documentum pluribus exemplis, & rationibus ornans, & inter alia illis Virgilii carminibus, quibus duobus memoriam æternam promisit, & præstítit, *Fortunati ambo, si quid mea carmina possunt,*

(e) Veget. 2. de re milit. cap.
(f) Senec. declam. 262.
(g) Tacit. 3. Annal.
(h) Pindar. in Nemæis, Od. 4. & 7.
(i) Horat. Od. 8. lib. 4.
(k) Idem sed. lib. Od. 9.

(l) Ovid. lib. 4. de Pont. eleg. 8.
(m) Tibul. lib. 1. eleg. 4.
(n) Lucan. lib. 9.
(o) Boissard. Embl. 11.
(p) Schoonh. Embl. 29. pag. 89.
(q) Senec. omnino legendum, epist. 21.

Nulla dies unquam memori vos eximet ævo:

Dum donus Aeneæ Capitoli immobile saxum

Accolet, Imperiunque Pater Romanus habebit.

11 Nos verò, Reges, ac Principes notare, simulque admonere volentes, qui ejusmodi viros, de quibus loquimur, quos suscipere, ac suspicere debebant, despicere, ac contemnere solent, & parvi facere gloriam, quam ex eorum scriptis consequi poterant, existimantes, ut alibi Tacitus (r) inquit : *Presenti potentia extingui posse sequentis ævi memoriam.* Et parum animadvertisentes : *Inproborum probra* (Sidonio (s) Apollinaris docente) *æquè ut preconia bonorum, immortalia manere, præsens hoc Emblema formavimus, ex Crocodilo, ut appareat, à pusione, sive Pygmaeo Tentirita domito, atque frenato; quo simili, in eamdem rem, de qua agimus, his verbis Erasmus (t) usum fuisse comperto, Crocodilus, invictum aliqui, & perniciosum animal, tamen Tentritis adeò metuit, ut ad eorum vocem etiam expavescat : ita Tyranni, cum omnes contemnant, tamen eruditiorum literas subtemunt.*

12 Quod sumptum est ex horum hominum natura, & in frenandis Crocodilis genio, sive ingenio, de quibus Plinius (u), quem sequuntur Solinus (x), Seneca (y), Strabo (z), & alii à Simone Majolo (a) relati, sic scribit : *Tentritis insulam in Nilo habitant, statuta parvi, qui soli Crocodilos congregi audent.* Fluminis innatant, dorsoque, equitantim modo, impositi, biantibus re supino capite ad morsum, addita in os clava, dextra ac leva tenentes, extrema ejus utrinque, ut frenis in terram agunt captivos, ac voce etiam sola territos, cogunt evomerre recentia corpora ad sepulturam. Itaque ani ei insula Crocodili non adnatant, olfactuque ejus generis hominum, ut Psyllorum serpentes figantur.

13 Amare igitur, vel timere Scriptores Principes debent, qui etsi leves aliqui, ac contemptibiles primo adspectu videri possint, *Inmittia cete, & ingentes Crocodilos, ut alibi ait Virgilius (b), domare frenareque valent, & quò velint ipsorum famam posteritati traducere, usque adeò verum est illud Q. Curtii (c), quo, aliud agens, præmonit : Nihil tam firmum tamque stabile esse, cui aliquod periculum non sit, etiam ab invalido ; cum & leo culicem, muscamque pertimescat, aliquandoque minimarum axium pabulum fiat, & ferrum rubigo consuadat.*

14 Quibus exemplis alia plura addit Philippus Camerarius (d), & ex illo leonis, quem culex infestat, Emblema confecit Schoonhovius (e), sub titulo, *A minimis quoque sibi timendum, & his carminibus : En ego qui terror cunctis incedo per orbem, Ne nervis confide tuis, nam parvula quoque Solius culicis spicula dira tremo :* *Dum minimè credis, quo perimamur habent.* Et ex Xiphia, aliqui valido & formidabili pisces, qui solet ab exiguo cæstro, sive asylo necari, Joachin. Camerarius (f) sic inquiens :

*Piscibus ipse aliis sunt formidabilis hostis,
Mox hostis miserè necat exiguis.*

15 Et magis ad rem nostram Antonius a Burgundia (g) aliud, in quo Elephantem pingit, ad muris adventum graviter concitat, & ita habet,

*Carnea quem tanto moles petit impete ? murem
Cur ita? Pygmaeo pexiuit ungue feram.*

*O pudor : & tantas, res tantula, cogit in iras ?
Sic agitur : mordax hoc quoque lingua docet.*

16 Indeque Salomon (h) eosdem Principes monet, ut de fama & bono nomine curent. Quod inquit : *Melius est, quædum dicitis multæ, & super aurum & argentum gratia bona.* Ad hanc nimirum posteritatis curam, quam habent, respiciens, ut ubi Salazarus noster, præter alios, animadvertisit, & bonam civium, & Scriptorum gratiam, & commendationem, pro qua consequenda aurum & argentum sperneret, aut etiam in eosdem Scriptores liberaliter expendere debent.

17 Quod etiam consilium Isocrates (i) Nicocli, vel primum dedisse compemus, in oratione, qua illum ad Regnum instruxit; inquiens, quod Regibus donatur, callidissime vendi. Illud verò munus pulcherrimum, ac utilissimum eosdem reputare debere, quod ex præclaris Sapientium, atque eruditorum Virorum admonitionibus, & laudationibus consequuntur. Quod dictum Faustus Andrelinus (k) celebris Poëta, his versibus locupletavit,

*Magnanimo qui dat Regi, vel rura, vel aurum,
Argentum, mensas, coccina, vasa, domos,
Dat cupidè Curio, Crasso, parvaque potenti
Minera Fabricio, perniciosa Midæ :*

*Non aurum cupiunt, præclare sed laudis honores,
Et decus, & clari nomina clara Duces.
Carmina qui Regi, Regum fert munera, vitam
Carmina post vita tempora Cæsar habet.*

- (r) Tacit. 4. Annal.
(s) Sidon. lib. 5. epist. 8.
(t) Erasm. in similis, fol. mihi 53. in fin.
(u) Plin. lib. 6. cap. 25. & lib. 28. cap. 3.
(x) Solin. cap. 34.
(y) Senec. lib. 4. nat. quæst. cap. 2.
(z) Strab. lib. 17.
(a) Majol. collag. de serpen. pag. mihi 172. & seqq.
(b) Proverb. 22. 1.
(i) Isocrat. in orat. de Reg. ad Nicocl. in princip.
(k) Faust. Andrelin. lib. 1. carm.

Carmine defunctus magnus nunc vivit Achilles
Semper & Alcides carmine vixus erit
Vos, quibus æternæ facimus vagis murmura fame,
Digna decet larga dona deditse manu.
Exiguo, reliqua quæ dantur, tempore restant,
Quæ data sunt Vati, munera semper habes.

18 Quod benè agnoscisse videntur multi antiquorum, & recentiorum temporum Heroes, qui hac de causa celebres Historicos, aut Poëtas magno in pretio apud se habuerunt, pecuniis, muneribusque & honoribus, salariis, statuis, coronis, templis, sepulchrī, aliisque variis modis condecorarunt, quorum copiosam narrationem, qui velit, apud Theatrum (l) vita humana Beyerlinchii reperiēt: sed omnium loco Magnum illum Alexandrum Macedonem exhibere sufficiet, qui cum se totum ad Achillis exemplar componere cuperet, & longo postea intervallo superaverit, hoc uno illum se feliciorē & fortunaciōne fuisse dixit, ut Plutarchus (m), & alii passim literis prodūnt, quād immortali Homerī carmine celebratus, per totum terrarum orbem innotuisset, sic indicans, ut aliud agens Plinius Junior (n) scripsit: Se hoc uno monumento homines quantumvis claros, & rerum gestarum gloria conspicuos à mortaliitate asserere posse; nam cetera fragilia, & caduca, non minus quam ipsi homines, occidunt, desinuntque.

19 Idemque ipsum, aequè signanter Eudamidas apud eundem Plutarchum (o) ostendit, dum rotatus a quodam, quam ob causam Lacedemonii, priusquam inirent prælium, Musis immolare, cum nihil illis videretur cum Marte esse commercii? Ut rebus (inquit) fortiter gestis, contingat honesta commendatio. Et Alexander Severus apud Lampridium (p) quia ita habet: Sed amavit literatos homines: vehementer etiam reformandas, ne quid de se asperum scriberent. Et Plinius Junior (q), qui jam suo tempore hunc morem antiquum fuisse, his verbis ostendit: Fuit moris antiqui, eos, qui vel singulorum laudes, vel urbium scripserint, aut honoribus, aut pecunia ornare: nostris vero temporibus, ut alia speciosa & egregia, ita hoc in primis exelevit. Nam postquam desimus facere laudanda, laudari quoque ineptum putamus.

20 Et Antiquoribus aliis omissis, elegans quoque est in eodem argumento exornando Ludovic. Ariostus (r), Principens laudans, qui Scriptorum, & dignorum Poëtarum pennis (quos raros esse inquit) se suaque facta à Lethæis undis eripiunt. Contrà eos vituperans, & intellectu à Deo privatos inquiens:

Che de la Poesia gli ha fato schivi, &c.

21 Quod in Rithmis sequentibus, omnino legidens, variis exemplis demonstrat, & in eamdem sententiam consentiens Joannes Barclajus (s), parum esse ait, in Principem ullum, velut in uno celo omnium virtutum stellas convenisse, nisi nobiles Scriptores meritus, sortitusque fuerit, qui easdem posteris calamo tradant, & ultra mortalium sortem extendant.

22 Quæ quidem omnia secus longè illis Principibus contigissim videmus, qui Heroicos Poëtas, gravesque, & eloquentes Scriptores & Historiographos sibi gratos, beneficisque devinctos, habere non curarunt, eosvè in aliquo læserunt, vel contempturunt, cum exinde maximam sui nominis gloriæque jacturam apud posteros reportaverint, totque conspersi maculis fuerint, ut vix ad eas abluenda torus veritatis in contrarium se habentis Oceanus sufficere possit, ut in nostro Rege D. Petro accidit, de cuius vitiis, & saevitiis plus, quam debuit, hac de causa ejus Historiographus Petrus Lupecius ab Ayala vulgavit, ut nuper D. Comes de la Roca (t), multis titulis clarus, docto in rem hanc libello demonstrat; & in Paulo II. Pontifice Max. quem nimis Platina ab eodem malè tractatus, suis scriptis lacescit.

23 Eademque causa Laurentium Vallam permovit (u), non solum contra alium Pontificem, verum & contra ipsam demum Ecclesiam Romanam, & donationem eidem à Constantino Imper. factam, improbè debachandi, ut latius Eminentis. Cardin. Baron. & Bellarm. & Augustin. Stheucus (x) eamdem acerrimè defendentes, enarrant. Usque adeò certum est, vel pusillos Tentiritas nostros, quibus Dei munere legenda scribere datum est, etiam à magnis Principibus timeri suspicique debere, cum & ex ira, vel favore dividant mortalibus Fata, & suis scriptis famam, infamiamve perennem reddant, quia, ut Festus Avienus (y) inquit:

*Musis in termina vita
Permanet, & memori laus semper pullulat ævo.*

EM-

(l) Theatr. lit. A. pag. 689. lit. G. pag. 105. lit. H. pag. 72. lit. P. pag. 496. & seq. & lit. S. pag. 315.

(m) Plutarc. in Alex.

(n) Plin. Jun. lib. 6. epist. 17.

(o) Plutarc. in Apophth. Laconic.

(p) Lamprid. in Alex. Severo.

(q) Plin. Jun. lib. 3. epist. 21.

(r) Ariost. in Orlando Fur. cant. 35. stanza. 22. & seqq.

(s) Barclaj. in Argent. lib. 1. pag. 101. quem lege.

(t) D. Comes de la Roca in lib. de vita D. Petr. Reg.


(u) Fest. Avienus de situ Orbis.

(x) Bellarm. & Stheuc. contra Vallam, & plures alii

passim.

(y) Fest. Avien. in descript. Orb. Filic. 2. select. pag. 343.

MONETÆ PROBITAS, ET VENERATIO.



En Constantini Numos homo pronus adorat.

An quia sit Numen numulus iste sibi?

Numinis æterni an quia pars non parva Moneta

Mutari obsistit, jam quod adoret habet?

COMMENTARIUS.

I N On sufficit Reipublicæ curam clavumque tenentibus, subditorum animos præmiorum, & beneficiorum, de quibus egimus, gratia & liberalitate demulcere, nisi eisdem bonam probamque Monetam constituant, materia, ut post Paulum Jurisconsult. alii plures (a) tradunt, electa, cuius publica, ac perpetua aestimatio difusa, usum dominiumque, non tam ex substantia præbeat, quam ex quantitate, neque ultra merx utrumque sit, sed alterum pretium vocatur. Quod Paulus ab Aristotele (b) sumpsit, eamdem doctrinam, & numerorum cūdendorum causam, & originem plenus adhuc tradente. In quo etiam argomento Plinius (c) de Romanis agens, & Budæus (d), Tiraquellus (e), Covarrubias (f), & alii (g), de Hebreis, Græcis, & aliis Nationibus, latè versantur.

2 Omnes ubique pariter asserentes, hanc curam proba Monetæ populis impertiendæ, adeò

propriam Principum esse, & esse debere, ut vel ob hoc, ad eos tantum, qui superiore non ag-

Qqq 2

nos-

(a) L. 1. de contr. empt. l. si ita 42. de fidejuss. & latè omnes, qui de re Numaria scripserunt, quos vide apud Larream 1. tom. discept. cap. 12. ex n. 2. Marq. in gubern. Christian. lib. 2. cap. ultim.

(b) Aristot. 1. Polit. cap. 9.

(c) Plin. lib. 33. cap. 1. & 3. Eutrop. lib. 2.

(d) Budæus in notis ad d. l. 1.

(e) Tiraq. de retr. lign. §. 1. glos. 20. num. 20.

(f) Covarr. de veter. num. collatio.

(g) Forcat. dial. 48. Basil. Pont. relect. exposit. de monet. Matq. in gubern. Christ. lib. 2. cap. 39.